

Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM INAUGURALEM MEDICAM
DE

STRANGVRIA SENILI,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, AN-
GARIAE, WESTPHALIAE ET RELIQA,

SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HÆREDITARII in Schwarza,

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
SACRÆ CÆSAR. ET CATHOL. MAIEST. VT ET EMINENTISSIMI ELE-
CTORIS MOGVNTINI, NEC NON SERENISSIMORVM SAXONIAE DV-
CVM RESPECTIVE CONSILIARII, ETIAM AVLICI, ET ARCHIATRI,
PRAXEOS ET CHIMIAE PROF. PVBL. ORDINARII, TOTIVS ACADEMIAE
ET FACVLTATIS MEDICÆ SENIORIS, ET h. t. PRO-RECTO-
RIS MAGNIFICI DESIGNATI,

*PATRONI, PRÆCEPTORIS ATQVE PROMOTORIS OMNI HO-
NORIS ET PIETATIS CVLTV DEVENERANDI,*

PRO LICENTIA

PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQVENDI,
D. AVG. M DCC XXI.

IN AVDITORIO MEDICO,

HORIS CONSVETIS DEFENDET

A V C T O R

FRIDERICVS FRIDERICVS SCHMID,

CAHLA-THVRINGVS.

I E N Æ, LITTERIS IOHANNIS FRIDERICI RITTERL

morb spec 1178

athol. spec.
421,50

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

GEORGII WOLFFSTANGII

WOLFFSTANGII

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

GUILLIELMO FENRICO

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

GEORGII WOLFFSTANGII

WOLFFSTANGII

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE

PHYSICUS UNIVERSITATIS MEDICINAE



I. N. I.

PROOEMIUM.



Non solum Chimici seorsim inter sua principia statuerunt quandam analogiam macrocosmi & microcosmi, sed & communis hæc conuenientia dudum emicuit & statuminata est inter eruditos. Exemplo sint præcipue vel ætates hominum, si conferantur cum anni temporibus. Agnouit & suo loco id ipsum *Galenus*, quando *L. finit. medic. p. m. 44.* hæc sequenti modo inter se dispescit: *Prima atate*, inquit, *ad iuuenilem vsque*, qua *calidi & humid* dicimur, cum vere conuenimus; qui *vigentes*, *calidi & sicci*, eandem cum æstate temperaturam sunt adepti; qui *in tertia*, *frigidi & humid*, *autumno similes*; *Senes vero*, *frigidi & sicci*, *hyemi sunt consimiles*. Et sic utique est, ut enim priora anni tempora amoenissima & fertilissima, & in iis folia, flores & alias vegetabilium partes progerminare videmus: hyeme vero irruente omnia hæc cessare, imo harum multas austeritate illius corrumpi, ut sic nisi mors, morbus tamen vegetabilium plurimorum dici queat, hinc
A 2 etiam

etiam Latinis aduentante vere reuiuiscere omnia dicuntur; Sic primis ætatibus, quibus in flore adhuc sumus constituti, omnibus actionibus debitis obeundis magis sumus apti, vltima vero humanæ vitæ ætas, Senectus, in qua vires & vigor decrescunt, etiam illis, quibus cum laude antea præfuit muneribus satisfacere amplius non potest. Senectus sane nil aliud quam lenta mors est, licet enim cuius ætati sua mala sint atque morbi, in Senectutem tamen qui ingreditur, in campum morborum fertur. De reliquis ætatibus iam nobis nihil dicendum est, de senum vero & constitutione & morbo speciali in præsentiarum quiddam commentari allubescit, & nominatim saltim specialis casus occasionem suppeditabit stranguriæ. Hoc vt fauste & feliciter eueniat, coeptaque secundet summum Numen, imploramus animitus. Casus vero sequens est:

Pastor LXIX. annorum continuo atque reiterato pluries ad excernendam vrinam stimulo laborat, adeo, vt sæpius atque iterum, imo pluries quam numerare facile est, guttatim plerumque & summo cum dolore illam reddere cogatur. Constantes insuper & acutissimos in extremitate penis sentit dolores, sub itineribus præsertim, quæ quo longiora, eo magis illos augent. Cruor etiam nonnunquam vrinæ admiscetur; flatibus præterea interdum cruciatur, quibus tamen prodeuntibus dolor paululum mitescit atque remittit, quod etiam contingit, si in quiete corpus constitutum est. Medicamenta non solum petit, sed præterea consilium: num, sub hac ætatis & morbi constitutione locum ad 20. miliaria a suo distantem, sine periculo repetere possit d. 20. Aug.

§. I.

Senex hic noster sine dubio laborat *Stranguria*, morbo & veteribus & recentioribus Medicis satis noto, ἀδὲ-
 vera ἢς στραγγρίας vocatur a Platone, morbus *stillicidii*
vrinae; nec tamen hoc ipso concedimus tam frequenter
 apud antiquos hunc morbum obseruatum fuisse, quam
 quidem hodie fieri assolet: nostra enim tempora scorbu-
 tica ferme sunt, vt multi ac plurimi morbi, chronici præ-
 fertim, scorbutum pro matre agnoscant; scorbuticis vero
 humoribus scatentes huic, atque aliis vrinae vitiis, facillime
 subiici, & ratio & experientia probat, leuissima licet præ-
 cedente causa. Et senum corpora atque viscera talibus
 vel similibus humorum vitiis generandis esse apta, se-
 quentibus facile probare speramus. Quæ etiam causa nos
 mouit præsentem *stranguriam* dicere *senilem*, tanquam
 morbum, cui senes ex vitio ætatis facillime subiiciuntur.

§. II.

Vocis *stranguriæ* aliqualem cognitionem dare, eius-
 que deriuationem, antequam resolutionem ipsius aggredia-
 mur, necesse erit. Notandum hinc pure Græcam esse
 hanc vocem, neque nisi absone ad Latinum fontem refer-
 ri posse; Alias enim *Celsus* Latinissimus illam nominas-
 set, qui non nisi græcam nominat, & *vrinae difficultatem*
 reddit L. 2. c. 1. στραγγείαν quam appellant. Et quando
Becmannus de Originibus Latin. Lingu. sub *strangulandi*
 voce huius meminit, id analogice magis facit, quod pre-
 matur quasi, aut retineatur ἄρον. Rectius vero a στραγγ-
 gutta, stilla, & ἄρον, vel ἄρέω, *vrinam reddo*, vox est com-
 posita, vnde *Catoni L. de re rustica c. 156.* est & dicitur *lo-*
tium substillum. Confer *Sennert. Pr. P. IIX. L. III. c. 4.*

it. Galen. fin. Med. Stranguria dicitur, quod in ea vrina $\sigma\tau\alpha\gamma\gamma\omega\epsilon\iota\omega\varsigma$, i. e. guttatim destillet. Est insuper iisdem Græcis verbum $\sigma\tau\alpha\gamma\gamma\acute{\epsilon}\upsilon\omega$, quod idem ac Latinis *torqueo* significat, & non errare crediderim, quibus etiam ex hoc vocis compositionem formare placuerit. Cum hac Græca, Latinorum morbi nostri appellatio conuenit, quibus *stillidium vrinae* dicitur, quæ vox ex duplici vocabulo *stilla* & *cado* componitur, & eandem cum Græca illa significationem habet, quod in ea guttatim stillet & decidat vrina, instar operationis pharmaceuticæ, quæ destillatio audit. Germanis dicitur *die kalte Pisse*, *die Harnwinde*, cum dolor yrens calorem magis indicare videatur, vnde contra ea a Gal-
lis sed vna voce *chaudepisse* audit, quod tamen magis valet fere in illis corporibus, quæ lue venerea afficiuntur, quo cum in præsentî statu nobis res non est.

§. III.

Et nomini & rei lucem foenerat optime *Diuius Senex* 3. *Aphor.* 31. vbi $\tau\omicron\iota\iota\varsigma \pi\epsilon\sigma\beta\acute{\upsilon}\tau\eta\varsigma$ inscribuntur $\sigma\tau\alpha\gamma\gamma\eta\varsigma$ & $\delta\upsilon\sigma\eta\varsigma$, *vrinae stillidia* & *vrinae difficultates*, qua versione pressius exprimuntur formalis ratio & gradus. Cum vero possint & coniuncti esse hi affectus, & separati, prout vel latius sumuntur, vel strictius: ita ab ipso Galeno distinguuntur, vt $\delta\upsilon\sigma\eta\varsigma$ solum sit $\delta\upsilon\sigma\eta\epsilon\iota\alpha \tau\delta \delta\epsilon\epsilon\iota\nu$, *difficultas mingendi*, $\sigma\tau\alpha\gamma\gamma\eta\varsigma$ vero $\kappa\alpha\lambda\alpha \sigma\tau\alpha\gamma\gamma\acute{\alpha} \delta\pi\eta\sigma\iota\varsigma$, *stillidium vrinae*; seu quæ definitio est specialis: *stranguria est stilla-
titia, & sepius reiterata, vrina cum dolore plus minus acerbo excretio, ab acrimonia, sphincterem & totam vesicam irritante & stimulante, proueniens.* Addere insuper, cui lubet, poterit cum *Ettmüll. Tom. II. P. I. p. 667. remanente nihilominus continua admittendam vrinam stimulatione.* Atque hoc in senibus maxime contingit, vt casus noster
exhi-

exhibet, cum acrimonia communicata non a causa quadam externa dependeat, sed a vitio humorum, non nisi acrem vrinam generante, quod secundum scopum Dissertationis nostræ infra vberius demonstrabimus, & definitioni pro subiecto nostro adhuc addimus: *Senibus maxime familiaris.*

§. IV.

Non omnes quidem Autores in definiendo hoc morbo nobiscum conueniunt, cum alii etiam *sine dolore* stranguriam fieri asserant, quod facit *Riuerius in Prax. Med. L. XIV. c. 9. p. m. 435.* qui clarioris doctrinæ gratia, vrinæ quantitatem imminutam, quæ *sine dolore* fit, proximam nominare maluit; Nos vero contrarium potius statuimus, quod in senibus præsertim, cognitis causis, locum habet, de quibus & in præsens solummodo nobis agendum erit, sub hac regula firma: Si omnimoda adsit vrinæ suppressio, *ischuria*; Si difficilis & maxime dolorosa excretio, *dyfuria*; Si tenesmodes & guttalis cum dolore, *stranguria*; Si inuoluntaria, & sine dolore, immo nonnunquam sine sensu, *incontinentia vrinae* dici meretur, cum latitudine tamen quadam & variatione.

§. V.

Antequam ad causas morbi nostri accedamus, de loco affecto aliqua præmonere opus erit, qui sine dubio erit in subiecto nostro vesica vrinaria, huiusque præprimis sphincter. Licet enim secundum *Galen. de loc. aff. L. VI. c. 4.* *Stillicidium vrinae, si ab acrimonia eiusdem fit, accidens vesicae sit, affectus vero minime;* hæc tamen Galeni verba ad causas stranguriæ magis, quam locum affectum respicere, credimus. Cum enim alio loco dixerit: con-

tinge-

tingere etiam posse stranguriam a vesicæ inflammatione, & ulcere, non semper vnâ eandemque huius morbi esse causam, & vesica nisi a se ipsa acriorem generet urinam, aliunde tamen adductam, easdem molestias causari posse, docere voluit. Quia etiam ad sensus experientia testatur, vitia urinæ hic suam atrocitatem maxime exercere, noster etiam æger de doloribus circa hæc loca conqueratur, vesicam vt locum affectum in morbo nostro designare nulli dubitauimus. Nec dolor solum harum partium, sed guttalis etiam & reiterata præter voluntatem urinæ excretio, idem probat, quæ naturali lege non nisi reclusionem vesicæ ope sphincteris contingere poterat.

§. VI.

Est vero vesica urinaria vas illud abdominis cauum, liquori excrementitio in renibus percolato & per vretes translato, recipiendo atque per vrethram extra corpus eliminando destinatum. Plura hic de partium huc facientium structura, mechanismo, earundemque operatione, in specie urinæ in renibus secretionem, adduci deberent, sed cum hæc fusius atque clarius, quam in exiguis hisce pagellis explicari possint, in *Dn. Pras. Berger. Verheyen*, Physiologiis aliisque doctissimorum virorum scriptis consignata atque demonstrata reperiantur, sufficientem, qui desiderat, ex iis explicationem sibi petere poterit. De structura tamen vesicæ pauca monere e re nostra erit: Diuiditur Anatomicis in fundum & collum, & vbique triplici constat tunica, prima communi dicta, a peritonæo, *membranacea*; altera *fibrosa*, crassa; tertia *neruosa*: quæ vltima, licet per totam vesicam, circa collum tamen magis conspicua. Est præterea semper muco quodam intus obducta, qui ab acrimonia urinæ ipsam defendit,

dit,

dit, non solum, vt nimis acris, ex quacunque causa, illam corrodere nequeat, sed &, quia salia vrinae semper admixta, vesica hac ferre, & vrinae iustam copiam colligere debet, vt certo atque commodo tempore excernere possit.

§. VII.

Hanc vrinae retentionem & collectionem debitam iuuat, simulque inuoluntariam excretionem naturaliter impedit structura vesicae circa collum conspicua, vbi ex fibris secundum *Verheyen. & Welschium, orbicularibus*, secundum *Heister. Compend. Anat. p. 51. transversalibus*, formatur porta, ianua quadam, sphincter dicta, instructa, quae occlusa, vrinae fluxum inuoluntarium impedit, & reserata, vrinae excernendae viam aperit. Et circa hunc locum in vesica non solum tunica neruea crassior existit, sed etiam sphincteri plurimae fibrae nerueae sunt intertextae, partim a pari vago, partim ex medulla ossis sacri per duos plexus in pelui, prouenientes, teste *Verheyen. l. c.*, vt sic, si iusta quantitas sit collecta, ad reclusionem, & sic vrinae excretionem stimulari possit. Hinc etiam a nonnullis partim ad actiones naturales, partim ad animales refertur, cum, supra dictis recte se habentibus, non statim praesente etiam & urgente copia, excerni debeat, sed retineri etiam ad certum tempus possit, si non statim honeste mittendi sit locus, & quoque sub ipso fluxu, reliqua vrina, si impedimentum accedat, retineri queat.

§. VIII.

Continua cum vesica est vrethra, vltima exeuntis liquoris obsceni via; quae iisdem quibus vesica gaudet tunicis, mucos tamen, qui in vesica reperitur, destituta. Cum enim in vesica per longum interdum tempus com-

B

mo-

morari & afferuari deberet vrina, hinc maiori contra eiusdem acrimoniam, atque salia rodentia, opus erat defensione, quam in vrethra, per quam solummodo transit vrina. Si tamen nimis acris per eandem fertur, etiam hanc salium spicula infestare, testantur scorbutici, quibus hoc malum maxime solenne; & hæc causa est doloris in extremitate penis, de quo æger in casu nostro conquestus est, quam sine dubio cum stranguria communem habet, de qua in sequentibus. Exinde vero facile apparebit, in sene nostro non vesicam solum, sed etiam vrethram pati, quia tamen continuo nexu inter se cohærent, & vrethra, quæ nervos cum vesica continuos, vt & reliquas tunicas, habet, si etiam ob defectum mucii in transitu non afficiatur, per consensum tamen, & sensibilitatem tunicæ nerueæ, simul irritari & dolore affligi poterit; quod etiam in illis, qui calculo vesicæ laborant, contingere videmus. Vt itaque non opus esse ducamus, vrethram simul cum vesica vt locum affectum indicare, cum etiam in nostro casu iidem dolores ab illis vesicæ irritationibus dependeant.

§. IX.

CAUSAS dolorosæ huius irritationis quod concernit, IMMEDIATA quidem & PROXIMA sine dubio est vnitatis solutio, & hanc inferens, vrinæ acrimonia. Duæ quidem Autoribus adducuntur stranguriæ causæ, vna nempe expultrix irritata, seu contractio, ab acrimonia vrinæ stimulante causata; altera retentrix læsa, seu debilitas vesicæ, huiusque præsertim sphincteris, a quacunque causa dependens, quod confirmat *Leonic. in Comment. ad Aphor. Hipp. III. 16. & Gal. Comment. ad L. III. Hipp. de Morb. vulg. vbi ita: Duabus de causis fit stranguria, vel quod vesica eius (vrinæ) non ferat qualitatem, iam mordacis, vel quod per debilitatem,*
prius-

priusquam sit coaceruata, & pauca plane sit, grauetur. Sed, licet non negemus, vt primam, sic etiam alteram senibus stranguriam causari posse, & in multis coniungi; supra tamen ostensum sit, a debilitate fibrarum vesicæ incontinentiam potius prouenire, nos etiam constituerimus, de illa stranguria solummodo differere, quæ vitio humorum omnibus senibus facillime contingit, missa altera, priorem retinebimus, expultricem nimirum irritatam, quam etiam *B. Ettmüll. Tom. II. P. I. pag. 667.* pro vera agnouit, scribens: *Stillicidium vrinae & guttatim emissio fit ab acrimonia stimulante sphincterem, vt ad excernendum se laxet, ab eadem acrimonia vellicante subito se stringit, denuo se laxat, & iterum stringit.* Quamquam enim fibræ & structura seu ordo harum ita sit comparatus, vt non facile, nisi iusto tempore, vrinae transitus concedatur; stimulante tamen acri & mordaci vrina, eundem denegare non potest, neque tamdiu ferre, vt iusta copia colligatur, sed quamprimum ad vesicam delata est, iterum expellit.

§. X.

Vrina naturaliter constituta, est superflua feri sanguinis pars, referta particulis terreis, falsis, sulphureis, in renibus percolata, & per vretes ad vesicam delata, vt ibi colligatur, et, si copia iusta fuerit congesta, per vrethram sine dolore excernatur. Contrarium contingere videmus in omnibus renum & vesicæ morbis, vbi vel in minori copia, vel cum dolore, vel omnino nullam secerni atque eici obseruatur. In hoc nostro casu etiam præternaturalem vrinae constitutionem offendimus, & quidem quoad signa: cum non in iusta copia & tempore certo, sed guttatim, sæpius, & cum dolore prostillet; quoad causas, vti-

que urinam nimis acrem atque stimulantem accusare iustum erit, teste *Tim. a Guldenklée Op. L. III. Ep. 35. In-tempestiua & frequens mictio falsis & acris humoribus summa cum ratione & iudicio a Medicis adscribitur.* Confirmant idem scorbutici, qui ob hanc ipsam urinæ acrimoniam, sæpius ad mittendam urinam coguntur, in qua non solum calor p. n. sed etiam salia copiosa ad fundum secedentia cum muco multo viscido obseruantur. Vt ideo non dubitemus *causam mediatam* PROXIMIOREM ponere in urinæ acrimonia, a vitio reliquorum in corpore humorum, producta. Consistit vero hæc acrimonia in copiosis particulis acido-salsis, tartareis, viscidis, consentiente *Camerar. in Valetud. Sen.* qui ita: *Ob acrium acidarum salinarum secretarum in seroso latice, particularum abundantiam, qua vesica nervosas partes infestat, lacessit eas, ad inordinatam expulsionem adigit, ac in fibrillas teneras inproportionate agendo, dolorem excitat.* Et *Ettmüll. l. c. Stranguria in omnibus conuenit cum tenesmo, ut enim ibi peccat humidum in viscido, sic hic in aqueo.* Esse autem hanc acrimoniam ab acido-salfo, ipsa etiam ratio atque sensus confirmant; sic enim *Illustr. Dn. Pres. teste, omnis acrimonia est a sale;* acidorum vero salium proprium est vellicare, corrugare, atque rodere; quos omnes effectus luculentissime edit urina hæc acris. Nec desunt experimenta, idem affirmantia; quale elegantissimum affert *Helmont. in Pleur. fur. 14.* ubi ponit: *Cum alias ventriculo gratum acidum, extra stomachum omnis aciditas sit præter naturam & hostilis;* varia etiam inde enata mala recenset, inter alia stranguriam, de qua dicit: *Si experiri velis ad manum, emictæ nouiter absque dolore urine aliquot saltim guttulas vini aciduli misce, & per syringam ini-*

inii-

iniice, experieris te inuito, quod vera doceam, & in Opusc. inaudit sub tit. Vromant. Veter. 28. idem asserit.

§. XI.

Nonnullis etiam crassities atque visciditas urinae pro causa morbi nostri habetur; sed, cum talis viscida urina ischuriam magis producere valeat, occasionaliter tantum ad stranguriam conferre credimus, quatenus nimirum a lentore & visciditate urina acris, stranguriae causa, produci potest; quod confirmat Bonet. L. XVI. Merc. comp. *Frequentissime, inquit, fit, ut crassities humorum frigidorum ad acrimoniam humorum colligendam ac retinendam inserviat, ita, ut acrior urina generet stranguriam, non quatenus talis, sed quatenus exitus eius, quam eius acrimonia accelerat, ob admistas particulas crassiores, impeditur. Ut enim acres & biliosi humores dysenteriam non generant, ubi aluum concitant, nisi visciditas quadam accidat, cuius respectu parietibus adherent, eaque exulcerant, sic etiam serum natura sua peculiarem acrimoniam possidens non generat urinae stillicidium, nisi peccantes humores accedant.* Impeditur nempe haec viscida, & ad motum minus proclivis urina ab exitu, dum humoribus viscidis salinae involutae sunt particulae, ut stimulum edere nequeant, qui tamen naturaliter excretionem huius liquoris promouet; ex hac vero mora & subsistentia salia urinae maiorem acquirunt acrimoniam, simulque plura generantur. Quod Sennert. Prax. L. III. P. IIX. Sect. II. c. 4. affirmat, ubi dicit: *Cum omnibus partibus, etiam quae excrementa continent, peculiaris sit vis, ea quae continent alterandi, sic etiam vesicam, calore suo si debilitetur, urinae vitiosam induere qualitatem, quae vesicam stimulet, dolorem excitet; Observatum etiam est Practicis, ab hac materia viscida tartarea*

orificium vesicæ fuisse obductum. *Tim. a Guldenklee L. V. cas. 21.*

§. XII.

Acrimonia vero atque visciditas hæc urinae, cum aliunde, non ex se, primario originem petere debeant, humores totius corporis, a quibus secernitur hic liquor, erunt accusandi. Hinc est, quod senibus stranguria maxime familiaris, quia ad generandos humores pituitosos maxime sunt proclives. Vt vero ordine procedamus, monendum hic erit, quid per senes intelligamus? & quibus annis senectus irruat? De hoc multum inter Autores disputatur, plurimi tamen illorum in eo consentiunt, quod nullo certo annorum spatio definito circumscribi possint ætates, sed simul secundum virium robur sint dimetiendæ. Ad horum mentem etiam illos senes dicimus, qui actionibus tam naturalibus quam vitalibus atque animalibus rite administrandis, siue per ætatem, siue per longum atque diuturnum morbum, siue per vitium diætæ consumptæ fuerint vires, accedente in primis annorum numero, sunt inepti. Ita enim *Galen. de San. t. L. VI. c. 9.* inquit: *Quo immoderatiores sumus in victu atque aliis, eo facilius atque maturius senescimus.* Et *Celsus de Medic. L. I. c. 1.* *Ignavia maturam senectutem, labor longam adolescentiam reddit.* Testatur idem quotidiana experientia, videmus enim homines, qui ad LXX. annum & ultra peruenerunt, nihilominus viribus adhuc satis constantibus, omnes actiones priori ætati conuenientes, rite exercere atque peragere. De gradibus etiam ætatum in genere quid & quam varie sentiant Autores, non allegabimus, trina ista dimensione contenti, qua dirimuntur in statum incrementi, vigoris, atque decrementi; hæc enim robur virium pro fundamento agnoscit, quo ipso

ipſo ætates inter ſe discrepant; vltimum ſtatum in eo tempore ponendo cum *Bobn. Circ. Anat. pag. 68. quo remiſſior ſanguinis motus.* Qui in his generalioribus alias iterum diuiſiones quærunt, confer *Galen. L. de San. t. L. V. c. 12, & Sennert. Inſtit. Med. L. IV. P. II. c. 4.*

§. XIII.

Et hæc eſt illa ætas, de qua *Galenus Lib. finit. Med. & L. VI. de Sanit. tuend. c. 9.* dicit: *In hac diminuitur animal, decreſcentibus in eo calido & humido, frigido & ſicco augeſcentibus.* Per calidum nihil aliud hic intelligi quam calorem natium, per humidum vero humores laudabiles nutritios, nemo facile dubitabit. Natius vero calor vt conſiſtit in motu ſanguinis & reliquorum humorum, ſic motus ſanguinis dependet a motu intrinſeco minimarum ſanguinis particularum, quæ ſunt aëreæ, volatiles, ſulphureæ, ſero vectæ. His ipſis autem ex parte deſtituuntur ſenes, ſimulque partium & fibrarum tono, ſanguinis motum progreſſiuum adiuuante. Sic *Camerar. Valet. Sen. ſanguis deſerueſcit, eiusque particule balsamica, volatiles, mobiles, gelatiñoſæ deſciant, ſuccedunt terreſtiores, falſæ, acida, partium ſolidarum tonus leſus.* Anſam huic malo dare potuit vitium diætæ, quod vt a *Galen. l. c.* cauſa accelera-tæ ſenectutis appellatur, ſic nobis etiam omnis dies confirmat, quanta ex mala diætâ, etiam in corporibus ſanis, cauſari poſſint incommoda. Non etiam negandum, in eſſe multis corporibus natiam quandam ad ſcorbutum diſpoſitionem; notiſſimum autem in medicis, conſiſtere ſcorbutum in viſcido acido tartareo, quæ creſcentibus annis maiora indies ſumunt incrementa; atque acido hoc humores figunt, & ſic neceſſario volatiliores ſanguinis particulas ſupprimunt, motum inteſtinum ſimul cum progreſſiuo

ſuo

siuo impediunt, quo ipso calor in corpore necessario labascit. Sic etiam ad caloris natiui debilitatem multum conferre sine dubio potuit vita sedentaria; motu enim corporis & musculorum motum sanguinis promoueri, & humores sub tali motu tenues atque fluxiles reddi, non negandum. Quia itaque a iuuentute literis deditus, scientiam multum sedendo acquirere, & pro officii sui conditione, etiam in hoc vitæ genere persistere debuerit, facile patebit, sub tali quiete nimia, etiam humoribus, quod ratio & experientia fatetur, lentorem fuisse inductum.

§. XIV.

Lentorem hunc magis adhuc iuuat, sicque visciditati velificat fibrarum in senibus debilitas, non solum in propulsione sanguinis ex corde & per arterias, sed etiam in omnibus corporis visceribus, tam quæ sanguinis subtilisationi inserviunt, quam depuratoriis atque secretoriis. Non solum enim sufficit intestinus motus sanguinis ad continuandam circulationem, sed iuuari debet simul per cor, cui tantus vigor in statu naturali est, vt totam sanguinis massam per vniuersum corpus etiam per minima vasa, pulsu arteriarum adiutum, ad partes remotissimas propellere possit; in senibus vero, quibus, vt omnium partium, sic cordis vires debilitatæ admodum sunt per ætatem, pulsus paruus, lentus, hæc actio necessario etiam lente procedit, & cum sanguinis massa vitio crassitie iam laboret, & a debitis instrumentis non vi quadam sufficienti propellatur, per vasa non nisi lento gradu transire potest; sed moram in his paritur, hacque ipsa maiorem non solum acquirit visciditatem atque crassitiem, sed impuritates etiam magis colliguntur, & salia acriora redduntur, quod inter alia probant experimenta Physicorum, huc ex illis petenda. Non
solum

solum vero per circulum sanguinis in vasis, in statu naturali, crassitie atque visciditati resistitur, sed etiam a summo artifice peculiaria viscera, huic muneri vacantia, sunt comparata, quorum alia sola conuassatione id peragunt, quale quid in pulmonibus experimur, quia vero a viscido sanguine, aliisque peccantibus humoribus vterque pulmonum lobus infarctum quasi patitur, dilatatio horum debita, simulque sanguinis subtilisatio impeditur. Alia sunt secretoria atque depuratoria, quæ crassiores aliasque nocivas partes, salinas &c. a sanguine auferre, atque extra corpus eliminare debent; sed quia horum fibræ nimis laxæ, vasa angusta, sanguinis a corde minor impulsus, arteriolarum minor vis, pororum, per quos secretio fieri debebat, a viscida materia obstructio, vel mala a laxitate conformatio, etiam in his crassus & effœtus sanguis non solum non depurari poterit, sed subsistens salibus atque visciditati maius incrementum conciliat. Consentit hic *Riuer. in Prax. cap. de Scorbuto*, ubi dicit: *Per salium minus volatiliū aut alcalinorum exaltationem & abundantiam principis suis tenuioribus & magis actiuis spoliata massa sanguinea, partibus suam largitur vitium, & ibidem: viscera infarcta & tensa munere suo non recte defunguntur.*

§. XV.

Multum etiam ad caloris natiui conseruationem conferunt influxu suo spiritus animales, seu liquor nerveus, dum subtilitate sua non solum sanguini remixtus particulas eius in motu intrinseco confirmat, sed etiam fibris cordis atque arteriarum debitum robur largitur, vt sanguinis motum progressiuum præstare, & sic corporis calorem conseruare possint. Quid vero denegatus spirituum influxus præstare possit in corpore, non solum paralyticorum par-

C

tes

tes affectæ testantur, sed & experimenta ab Anatomicis facta, quibus constat, ligatis nervis ad cor tendentibus in animalibus viventibus motum eius omnino cessare; & paralyticæ partes omni quasi calore destitutæ reperiuntur, claro satis testimonio impediti sanguinis motus, ex obstructione spirituum pendentis. Licet vero animus non sit ea ex causa hæc adducere, quasi in senibus vel omnino spirituum separationem, vel saltem illorum influxum negare vellemus; sed quia notissima ex medicis regula, qualis sanguis, tales spiritus, ex inerte sanguine debiles spiritus generari tanquam necessarium consequens reputauimus; ex inertia autem atque crassitie spirituum in corpore, motum sanguinis tardiozem, caloris labefactionem, eodem modo, quo ex obstructione omnimodam suppressionem, obseruari, ea ex causa patet, quod sanguini, & partibus sanguinis motum promouentibus tonum atque elasticam virtutem scenerari non sunt apti. Accedit, quod in senes nostro multis meditationibus, in iuuentute atque officio suo per totam vitam continuandis, spiritus mirum in modum debilitati atque vigore suo destituti sint. Vera hæc confirmat *Camerar. l. c. ob calidum valde paucum, spiritus languidos, effætos, vappidos, omnium morborum causa patent, quæ in senibus offenduntur.*

§. XVI.

Ex sanguine vero non solum spiritus animales secernuntur, sed simul fons omnium reliquorum in corpore humorum existit; quemadmodum autem fonte turbato omnes ab eo decidui riuuli turbidi redduntur, & vitii sui participes, sic idem omnes humores, tam laudabiles quam illaudabiles atque excrementitii, experiuntur. Quod enim in spirituum, idem in lymphæ secretionem, per totum
corpus

corpus vasis propriis vectæ contingit; a crasso nimirum viscido atque acido tartareo sanguine eodem vitio infecta secernitur lymphæ, quæ, vt per multas anfractuofas vias fertur, sic hoc ipso, & motu suo, glandularumque, per totum corpus disperfarum, ope atque ministerio, attenuari & fluidior reddi debebat; sed cum ex sanguine vitiosa se- cernatur, eundem cum sanguine motum tardum nimirum atque lentum seruat, & sic magis viscida euadit, vt per tu- bulos minores, eadem, qua sanguis, difficultate ferri possit, sed stagnans in his atque glandulis, fibrillas magis laxet, ex- pandat, & ad munus debitum obeundum ineptos reddat, vt sic non solum non emendata, sed magis vitiosa atque corrupta, in sanguinem refundatur, munusque suum desti- natum minus recte expedire queat; quod in eo consistit, vt, sanguini remixtus, fluorem eius magis promoueat. Sed ex his ipsis facile & per se elucet, sanguinem hac ipsa ma- gis corrumpi & incrassari, cum non solum vitium, quod ex sanguine reportauit, ad eundem referat, sed maius e- tiam quod lentore suo, atque viarum ineptitudine contra- xit, eidem inserat. Quibus omnibus velificantur viscera secretoria, ex dictis causis tono suo deiecta, eorumque po- ri atque tubuli, non solum quæ hanc lympham ex sangui- ne secernere, sed etiam, quæ vitiosis particulis illam, vna cum sanguine, priuare, sunt destinata, quæ eodem quo re- liquæ corporis partes laborant vitio. Alios lymphæ vsus iam tacemus, quibus præstandis ex eadem labe euasit in- epta, cum ad nostrum scopum, nempe caloris in senibus defectum causandum ex dicta causa, quatenus nimirum san- guinem non solum non fluidiorem reddit, sed fluxum at- que circulum eius magis retardat, sufficere putemus.

§. XVII.

Alterā, quā senectus laborat, labes, a Galeno dicitur humidum deficiens; *L. I. etiam de med. facult. dicit: Errant, qui putant senes iuuenibus esse humidiores; & L. II. de temper. c. 2. in senibus plurima sunt sicca*, quod ipsum clarius explicat *L. de Ren. aff. & in Comment. ad Hippocr. L. VII. de salubr. diet. Solidis corporis partibus sunt sicci senes, sed quia excrementorum temperamenti frigidi copia abundant, hactenus dicuntur humidi. Vid. Helmont. de Calor. Diger. 25.* Ut itaque clarum sit, consistere hanc in senibus siccitatem, non in defectu humorum, sed in abundantia viscidorum atque excrementitiorum. Supra dictum, quid ad horum visciditatem conferat caloris in corpore languor, qui ad omnes in corpore actiones summe necessarius est, non solum ad humorum circulationem, sed, & praecipue, per hunc, illorum a partibus superfluis & inutilibus liberationem, sed lento, quem seruant, & impedito motu haec cessant, & excernendis retentis, omnes excrementitii redduntur, atque inutiles. Sic insensibilis in senibus transpiratio supprimitur; haec vero quantam utilitatem corporibus afferat, naturaliter constituta, quantam contra ea molestiam creet suppressa, exempla satis probant, inter alia catarrhi exinde orti. Quibus etiam reliqua, ut in aliis partibus secretionibus dicatis, patrocinantur vitia, ut sic serum vappidum, pituitosum spissescens & coagulans euadat secundum *Dn. Praef. Amoen. M. M. l. c.*

§. XVIII.

Maxima & ineuitabilis morbi nostri, etiam ipsius senectutis, hinc exoritur causa, mala nempe digestio, secundum *Helmontium l. c.* ubi dicit: *non senescimus nisi fermenten-*

mentorum penuria, pauperie, extinctione. Per hæc autem fermenta nihil aliud intelligi, quam calorem atque humores soluentes, quos menstrua appellamus, clarum est. Hæc vero quantum ad soluenda alimenta, & conficiendum chylum conferant, non opus est vt multis verbis declaremus, testantur idem omnes Medicorum libri, & Practici, & in specie Physiologiæ. Sed, quemadmodum tota humorum massa pituita quadam deprauata, ac sic elasticis suis partibus priuata, sic etiam dicta menstrua eodem vitio laborant, & simul quoque a salibus acidis participant; naturaliter enim, hæc salia neque debebant esse acida, neque alcalina, neque fixa, sed media, plus minus volatilia, vt partibus alimentorum soluendis atque digerendis sint apta. Si vero hæc in ipsis qualitas vitiosa, omnino etiam inde vitiosa digestio proueniet, de singulis speciatim. Inchoatur hæc ciborum in chylum conuersio in ore, masticationis atque saliuæ admixtionis ope, ita vt non solum sufficiat comminutio ciborum, (quod tamen in senibus etiam iuste non perficitur, cum vel dentibus careant, vel, si iisdem adhuc gaudeant, vacillantes tamen & hinc inde mobiles, ob debilem fibrarum tonum, quo & maxillæ laborant, existunt, & ita nec comminutioni ciborum satis apti,) licet a veteribus dictum: vitam odisse qui masticationem negligat; sed, vt sub hac simul saliuæ admisceatur, quod cum aliis *Celeb. Stahl. in theor. med. ver. p. 466.* demonstrare voluit, quando asserit: *masticationis utilitatem maxime versari in lymphæ saliuæ admixtione,* & hinc, qualis masticatio, talis coctio &c. Sed, vt ex defectu naturali non solum non satis, vt supra dictum, comminuuntur, nec saliuæ rite cum cibis permiscetur, vel pauca saltem, sed etiam, quia partes huius actiuæ atque elasticæ viscidis im-

mersæ, ut se extricare atque munere debito fungi nequeant, si admisceatur, iners sit, atque soluendis cibis minus apta.

§. XIX.

Male hoc modo in ore præparati cibi ad ventriculum deferuntur, ut ulteriori chymificationi ibi subiiciantur, sed quia in comminutione & salivæ admixtione vitium commissum, ventriculo plus negotii faciunt, *Helmont. de vict. rat. 21.* qui, cum eadem, qua reliquæ senum partes, laboret labe, etiam in hoc debita alimentorum mutatio fieri non poterit. Non quidem hic locus, nec animus est, varias Medicorum sententias proferre, quibus, de modo agendi ventriculi in hoc negotio, inter se dissident, multo minus iudicare; quicumque vero admittantur in senibus, vitio laborabunt. Sic, quod ad ventriculum ipsum spectat, qui attritionem amarunt, facile videbunt, in senibus, ex vitio debilitatis fibrarum, hanc rite contingere non posse; Idem etiam illis observandum erit, qui neglecta attritione, solo conquassationis motu comminutionem ciborum contingere, asserunt. Qui vero non ventriculi solum organica constitutione chymificationem contingere asserunt, sed insimul, atque rectius, extractione, solutione, coctione fermentifica, ope caloris & menstrui, seu lymphæ ventriculi, facta, omnes facile consentient, etiam hic naturam senibus suam denegare officium. Calor enim cum uniuersi corporis vitiatus, & lymphæ ventriculi, quæ naturaliter salivæ similis est, itidem vitio laboret, eadem visciditas in causa erit, ut chymificatio rite non peragi queat; præsertim quia cibi adhuc nimis crassi atque crudi ad ventriculum deferuntur, ventriculus vero, & per se debilis, & menstruum iners, digerendis eis impar existit,

loco

loco chymi cruditates producuntur, vt loquitur *Tim. a Guldenklee L. III. ep. 35. Ventriculus imbecillis & frigidus, assumptos cibos imperfecte coquit, & in chylum illaudabilem, crudum ac viscidum conuertit.*

§. XX.

Exinde est, quod acrimonia atque aciditas humorum indies magis augeatur, atque stranguriæ producendæ materia iis detur. Quod testatur *Helmont. Corpora impura quo magis nutriueris, eo magis læseris, & in retent. p. m. 585. Si imminutum in prima digestionem fuerit fermentum, vitiantur assumptâ quauis bona, atque ideo senibus stranguria familiaris.* In causa non solum est, quod ventriculus debilis alimenta rite non digerat, sed etiam sæpissime fit, vt cibos indigestos retineat, cum, ob deficientem calorem, fibrarum debilitatem, & menstrui inertiam, peragendo huic muneri non sit aptus; putrescunt vero & acescunt hæ reliquiæ in stomacho, remittente huius actione, in quiete constitutæ, ventriculum grauant, menstruum magis corrumpunt, visciditatem atque acorem huic communicando; nouum iterum cibum ad ventriculum delatum sub digestionem labe sua afficiunt, vt sic corrupta debita ventriculi actione, laudabilis chylus sperari non possit, sed a quauis digestionem, residuæ cruditates, harum cumulum magis augeant, & chylicationem recte peragendæ noua impedimenta sistant. Vitium hoc primæ coctionis non corrigitur neque in altera, neque in tertia, sed qua semel imbutus est chylus macula, per totum humorum circulum feruat, & prauis suis qualitatibus omnibus reliquis partibus acorem atque viscedinem aduehit atque insinuat.

§. XXI.

Quia vero chylus perfectionem suam non in ventriculo

culo

culo solum, sed etiam in intestinis, duodeno præsertim, & etiam reliquis nancisci debebat, ex ventriculo ad has sibi vicinas partes crude, vt diximus, præparatus defertur. Perfectio autem hæc & ad separationem a partibus excrementitiis adaptatio, omnium Medicorum consensu, tribuenda admixtioni bilis & succi pancreatici, peculiaribus ductibus in duodenum effusis. Fertur enim ad duodenum hæc massa sub forma pultacea, adeoque crassa, diluitione hinc opus erat, qua chylus fluidior reddatur, vt a poris angustissimis vasorum lacteorum absorberi, & sic vltius prouehi queat, quod præstare debebat succus pancreaticus; sed, vt sæpius diximus, quia vniuersi corporis lymphæ visciditate laborat, & hic etiam succus reliquæ lymphæ similis ab acutissimis Anatomicis repertus fuerit, non solum efficacia sua in diluendo chylo destituetur, sed partibus huius adhuc fluidis labem suam affricabit, magisque visciditate sua atque acrimonia aciditatem chyli augebit. Quod etiam in reliquis partibus, per quas chylus fertur, antequam sanguini commisceatur, continget. Cur chylo bilis admisceatur, controuersum diu inter Medicos fuit, plurimi consentiunt, fieri idem, vt oleosa sua substantia sanguini balsamum præbeat, quod vult *Helmont.* hinc inde in oper. & salinis suis partibus chylosam materiam magis subigere atque subtilisare debeat; sed, quod reliqui in corpore patiuntur humores, idem & huic contingit, alcalinum enim bilis acidum euadit, balsamicum fluidum pituitosum redditur, & chylus admixtione huius magis corrumpitur, viscidum nempe viscido, acidum acido accumulatur; hinc est, quod partium tonus adeo sit debilitatus, quia nutritione, ob defectum chyli laudabilis, destituuntur.

§. XXII.

Hoc etiam commoti Autores, stranguriam exinde senibus familiarem asserunt, quod & *Helmont.* affirmat, & *Grembsius in Arbor. integr. & ruinos.* inquit: *Huiusmodi affectus libenter patiuntur senes, propter debilem bilem.* Hæc bilis inertia lentam etiam aluum producit, præsentim super lymphæ intestinorum, ut in toto, sic etiam in his partibus viscida, ut etiam in hac, ut in aliis excretionibus, errorem producat, naturæ molestum; crassa nimirum sunt excrementa, materia multa pituitosa referta, quæ tormina atque flatus continuo excitant, (de quibus etiam senex noster querelam mouit) & chylo, sub secretionem, exhalationes nociuas, imo multam cum scybalis excernendam pituitam, commiscent; ut sic sanguini remixtus, maxima & varia senibus producat incommoda, ex causis supra allegatis; verum hoc, fatetur *Ettmüll. Dissert. XIX. Tom. II. P. II. ratio proxima*, inquit: *Stranguria latet in massa sanguinea, remote vero & fundamentaliter in chylo, qualis enim hic &c.* Nec secretio atque excretio scybalorum impedita sola senibus obest, sed in aliis vitium committitur; sic impeditur transpiratio insensibilis, a motu sanguinis impedito, & causis hunc producentibus, qui maius vitium, a chylo nouo crudo, acido, nactus; vno verbo omnia secernenda sanguini remixta seruantur, atque acrimoniam, qua humores purgari debebant, magis fouent. Solos renes in sene nostro officium suum agere, quis putauerit, cum tantam salium copiam cum vrina simul ad vesicam deferre videantur, ut etiam, propter ingentem illorum stimulum, ad debitum tempus hanc seruare nequeat, cum supra dictum, consistere illorum officium, in secernendis, vna cum sero, salibus, in sanguine superfluis; sed qui

D

accu-

accuratius paulo rem considerabit, causasque atque circumstantias iam dictas, facile consentiet nobiscum, acrimoniam hanc urinæ non cum illa naturali comparandam; alias enim omnes homines stranguria corrumpi deberent, quod tamen non videmus; adeoque aliud vitium vniuersale, nimirum visciditatem & acrimoniam omnium humorum acidam peccare, cui soli renes mederi nequeunt. Hoc probant alii senibus familiares morbi, ab Autoribus notati, scabies præsertim sicca pruriginosa, ex eadem, cum morbo nostro, orta causa.

§. XXIII.

Omnes enim in corporibus his deprauatæ sunt actiones, conseruationi indiuidui alias destinatæ; circulus humorum lentus, tardus, ob varia excernenda retenta impeditus, calor deficiens, spiritus torpidi, serum & lymphæ per totum corpus viscida, sicque muneri debito inepta, vitiata alimentorum digestio, & ex hac illaudabilis assurgens chylus, acidis cruditatibus foetus, vno verbo omnium humorum aciditas, vappescentia; ex his omnibus patebit, quod *qualis digestio, talia excrementa*. Cum enim hæc ab illis secerni debebant, eodem vitio contaminata erunt, quod etiam liquorî obscæno in morbo nostro contingit, vt sic neminem amplius putemus dubitare, causam morbi nostri vtique consistere in acrimonia acido-salsa-tartarea, quod, & per rationes, & per experimenta probatum sit. Magis adhuc hoc confirmat cruor seni nostro nonnunquam cum vrina simul excretus, tantam nimirum esse huius acrimoniam, vt etiam vasa sanguifera, in permeando, ab ipsa corrodi possint. Si etiam *Galen. L. de loc. aff. V. c. 5. Totam vesicam, mordaci tali vrina, excoriari posse*, asserit, & *Tim. a Guldenkleee* in simili casu *per erosionem partium*
in

in ductu penis idem contingere L. III. Ep. 35. Exemplo suo nobis etiam idem clarius demonstrant affectus nephriticorum, etiam spurii, in quibus salia scorbutica idem, quod in nostro, præstant morbo; hæc vero salia parum aut nihil ab his senum differre, supra iam dictum, & quiuis facile concedet.

§. XXIV.

Ex his quidem satis patere morbi causam credimus, licet non negemus, his etiam corporibus, alias, ab Autoribus adductas, innumeras fere, stranguriam producentes, multo magis hoc malum minari, quo ad ea magis dispositos habent humores; quod *Galen. L. V. de san. tuend. c. 4.* asserit, dicens: *Senes vel ex minima incommodantur causa.* Sic a cereuisia recenti (propter inhærentem recentis fermenti acorem, *Helmont. p. m. 379.*) musto, quod sordibus nitrosis mordicantibus scatet, a refrigeratione externa partium vrinariarum & abdominis (*Ettmüll. Tom. II. P. I. p. 668.*) ab ulcerosa materia, a renibus in vesicam delata, calculo, humore nimis acri bilioso, per has vias educendo, (*quale quid in febribus biliosis contingere Sebizius Diff. de Strangur. testatus*) nec non ab ipsis partibus, vrinæ excretioni destinatis, affectis, nempe ulcere renum & vesicæ, inflammatione vel in his, vel etiam vicino intestino recto, calculo, viarum angustia, & quæ aliæ plures, quas recensere, vel angustum spatium non permittit, vel e re nostra non est, cum de stranguria senum solummodo nobis agendum, quibus & familiaris, & diuturna, illa vero, quæ ex his recensitis causis producta, temporaria saltem, & omnibus ætatibus communis. Sufficiat hæc adduxisse, quo magis adhuc supra dicta confirmantur, stranguriam nempe,

non nisi a materia acri, sanguini & humoribus communi-
cata, & per vias vrinarias educenda, causari.

§. XXV.

SIGNA morbo nostro DIAGNOSTICA dare, non
necessarium duximus, cum hæc per se pateant, & supra
iam indicatum sit, quæ inter hunc, & alios partium vrina-
riarum morbos, interueniat differentia. Dicit quidem *Gal-*
len. L. XVII. de loc. aff. cap. 4. Ut exquisite dignosci possit
vesicæ affectus, necesse est, externas scire causas aduenien-
tes; Sed hoc ipsum in aliis locum habebit, vbi cautione
opus est, ne morbum, vt symptoma agnoscamus, & in illa
stranguria, de qua §. *preced.* dictum. In nostro morbo
hæc talia non opus habemus, cum senibus omnibus ea-
dem sit causa. Si tamen quædam ex prædictis præcesserit,
vel iungatur, ex relationibus ægrotantium sufficienter in-
strui poterit Medicus, formandarum quæstionum necessa-
riarum gnarus. Senilis stranguriæ differentia ab aliis, vt iam
dictum, in diurnitate consistit, neque ab externo vitio il-
lata, sed a deprauata digestionem, atque corruptis humoribus,
causata. Aliquod tamen signum dare poterit vrina succes-
sive collecta, intense rubra, crassa, secedente ad fundum
sedimento multo, viscido, crasso, cum intermixtis multis
& copiosis arenulis rubris, salinis. Malæ constitutæ dige-
stionis, atque secretionis, & humorum inde corruptorum,
indiciu præbet in senibus defectus nutritionis, & variæ
cutis impuritates in illis conspicuæ. Ab hac deficiente nu-
tritione debilitas omnium partium, tam solidarum, quam
fluidarum, dependet; signa itaque morbi nostri in relatio-
ne casus data, morbum oculis Medicis facile sistent.

§. XXVI.

Quod ad PROGNOSIN spectat, exinde senibus pa-
rum

rum solatii sperandum; vt enim his vitio coctionis & humorum familiaris est, sic fere incurabilis euadit, quia hæc vitia, accedente præprimis senili ætate, nullis ferme remediis cedunt, sic *Etmüll. Op. Tom. II. P. I. p. 668.* dicit: *In senibus malum curatu difficillimum, propter deficientem digestionem primam, & inertiam fellis.* Hinc est, quod *senectus ipsa morbus appellatur, & via ad interitum Galeno, de Temper. L. 2.* quia morbo nunquam vel raro destituta est, & qui illam inuadunt, chronici sunt, & vt plurimum ad mortem vsque perdurant; quod debilis senum constitutio, caloris defectus, digestio praua, humorum vappescencia, & aliæ sæpius dictæ causæ sui correctionem difficillime admittant. Regula *Coi* generalis est notissima *6. Aphor. 6.* τὰ νεφελικὰ καὶ ὀκρόσα κατὰ τὴν κύσιν ἀλγήματα ἐργαδῶς ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτησι. *Renum & vesicae dolores in senibus difficulter curantur.* Idem & asserit *Riuer. Pr. L. XIV. c. 7. de stranguria: Affectus iste in senibus immedicabilis est, ob exsuperantem humiditatem, (excrementitiam) caloris natui exsolutionem, qui irreparabilis est; & Helmont. in Opusc. inaudit. p. m. 193. Stranguria in senibus difficilis curatu, & Ill. Dn. Pres. l. c. Qui senectutem ingreditur, in campum morborum fertur, calidum enim vitale luminosum humidum excrementitium redditur, & salibus acetosis foetum.* Cum ex his & supra dictis clare diagnosci possit temperamentum senum, frigidum nempe & siccum, plura de eodem proferre superuacaneum putamus. Non tamen omni solatio destituendi sunt senes, vel saltem videndum, ne ex dispositione tali in maius malum detrudantur, cum enim gradu inter se differant ischuria & stranguria, teste *Riuerio*, & vterque morbus visciditatem coniunctam vrinæ pro causa agnoscat, ex hac in illam facile

prolabi possunt. Experiamur itaque & in his, quid Medicorum penu valeat, cum, iuxta notissimum, melius sit, aliquod medicamentum experiri, quam nullum; ut, si iuvare non possimus, saltem ne noceamus.

§. XXVII.

Constitutionem senum maxime debilem, adeoque omnium, qui illos inuadunt, morborum difficilem curationem, nobis innuit *Galen. de San. t. L. V. c. 4. Curandi senes, ut egri, qui ex longo morbo conualuerunt; in antecedenti tamen capite ponit: Senum temperamentum frigidum siccumque est, corrigitur per calefacientia atque humectantia, quibus modica dimotio iungenda.* Hæc quidem in genere de temperatura humorum corrigenda monuit, quia vero siccitati, seu pituitæ, in nostro sene simul iungitur humorum acrimonia, secundum duas sequentes, inde fluentes, indicationes, morbi curam instituemus:

- 1.) *Acrimonia humorum corrigenda.*
- 2.) *Viscerum tonus roborandus.*

Quando enim morbi vesicæ & viscerum tanti sunt, verbis *Tullii*, ut nihil ad eorum magnitudinem possit accedere, res desperata est, *L. II. de finibus.* Ad primum quod spectat scopum, ante omnia vrgens in morbo nostro remouendum, quod est dolor penis, qui, secundum *Tim. a Guldenkleee* externis frigidis, iniectionibus, abstergentibus, emollientibus, adiectis nonnullis anodynis, fomentationibus atque cataplasmatibus, lenitur, quibus addit *Epist. 21. L. V. insesum* & Cataplasma ex huius speciebus; Hinc demulcentia extollenda atque mitigantia, inter quæ palmam sibi deposcunt Emulsionem ex *Sem. 4. frigid.* cum aquis frigid. & appropriatis. *Bonetus* dicit: *non vltimum inter demul-*

demulcentia est lac, cum ol. amygd. dulc.; præscripsit etiam amygdalatum cum semin. frig. in decoct. hord. Quæ omnia vt dolori præsentis solummodo leuando inferuiunt, neque ex fonte malum tollunt, sic palliatiuam tantum, vt aiunt, etiam illis, in quibus aliqua adhuc spes supererat, curam promittunt.

§. XXIIII.

Vt vero omne quod est officii Medici obseruemus, ad causas curam dirigamus, necesse erit, ex quibus duæ supra dictæ indicationes fluebant; Quia nimirum omne punctum sublata acrimonia absoluetur, quomodo primo scopo satisfaciamus, videndum; Vt eo felicius in cura progredi possimus, & acrimoniam humorum tollere, necessarium erit ad primas vias respicere. Quia enim in his multæ collectæ sunt cruditates pituitosæ, acidæ, omnem chyli massam deprauantes, omnibus aliis medicamentis nihil efficiemus, nisi amurcam hanc ex iis educamus; cui scopo inferuiant omnia laxantia, sub forma infusi, aut alio modo parata, inpr. *pilul. tartar. Wedelius ipsa purgantia commendat, quæ viscedinem & acrimoniam & quantitatem humorum molestorum exturbent, Exerc. Path. ther. l. c. item Bonet. Merc. comp. L. XVI.: acrimonia atque feruor temperandus, leni aliquo pharmaco corpus expurgando; si pituita salsa redundat, bis vel semel in hebdomade vomitibus factis, curandum. Et l. c. etiam venæ sectionem his verbis laudat: vbi ex bile acriori, aut salsa pituita, malum oritur, vena etiam mittenda, sed interna brachii: His ipsis tamen semper præmitti debebant PRÆPARANTIA; nempe viscedinem humorum incidentia, salina, alcalina, acria vegetabilia, &c. vt medicamenta laxantia præfixo scopo eo melius potiri queant. His ita factis eo tutius atque*

que

que feliciter correctionem humorum aggredimur, in quibus peccat acidum & viscidum. Prius aufertur medicamentis alterantibus, ubi se nobis amplissimus campus absorbentium aperit; conducunt enim hic omnia cornua, dentes, testacea, terrea, varie præparata, imo etiam metallica, præsertim, secundum *Sydenham*, martialia, quorum virtus, omnibus aliis, facile palmam præripit. Speciatim ab *Helmont*. deprædicatur virtus *lap. 69.* in casu nostro, ut omnis acidi absorptiva, licet ad vesicam penetrare non possit, *de sede Anim. ad morb. 24.*

§. XXIX.

Sic remouetur acidum fixans humores; Visciditati medemur 1.) incidentibus & aperientibus, quæ salium fœturam in radice extinguunt, quo pertinent omnia salia alcalia, tartarea, atque ex iis parata, *Tartarus tartarif.*, *sal tartar. arcan. dupl. tartar. vitriol. arcan. tartar. liquid. Tinct. tartar.*, item *succinata, liqu. C. C. succinat.* & alia, quæ non solum superflua salia per vias vrinarias educunt, quia simul sunt diuretica, sed etiam humorum motum per corpus promouent. Laudat *Ettmüll.* pro hoc scopo vinum, in quo filices candefacti aliquoties sunt extincti, ut sic fiat vinum diureticum, omnis acidi absorptiuum. Commendat *Helmont. spir. sal. marin. dulcem, & de lithiasi 31. Spiritum salis*, ob aciditatem, qui non sibi par habeat remedium extinguendis ardoribus vrinæ in senum stranguis, putrefactiones impediatur, mucagines dissoluatur. *Tim. a Guldenklee Ep. 2. L. V.* laudat *spiritum lumbric. terrestr.*
2.) Vegetabilia acria, amara, hepatica, scorbutica, nec non emollientia, multis laudibus extolluntur ab Autoribus Practicis, iunctis simul demulcentibus, v. g. *nummular. rad.*

rad. glycyrrh. rapar. domesticar. quarum decoctum ferme sine pari, & specificum in casu nostro deprædicat *Gabelchouer. Cent. III. Cur. 2. Radix Malu.* laudatur a *Foresto L. 25. Obs. 4.*, *Gabelchouer. Cent. I. Obs. 21. Conseru. malu.* extollitur ab *Amat. Lusit. Cent. XVII. hist. 58.* a decocto *bismalu.* stranguriam curatam vidit *Antonius ab Heyde*, quo etiam referendum *serum lactis*, & alia supra dicta demulcentia, &c. Nec negligenda 3.) *Diluentia*, potus tenuis, imo aqua dulcis, modice tepida, hausta, hæc enim vti salia optime solvunt, sic etiam commodius per debitas vias secum euehunt, præprimis si aperientia iungantur atque diuretica. Hæc motum restituunt humoribus, si sunt indispositi, seu ob caloris natiui & particularum defectum, seu lentorem & viscositatem.

§. XXX.

Præmissis rite propinatis non dubitandum de salutari effectu, speramus, & simul etiam faciliori via ad alterum scopum obtinendum accedimus. Viscerum vero tonus nisi restituatur, atque partium vigor, omnia hæc incassum erunt adhibita, cum, quod antea correctum, vitio horum facillime iterum destrui atque corrumpi possit. Ex his autem in senibus maxime obseruanda digestio, & ideo præprimis ventriculi habenda est ratio; qui cum cruditatibus purgatus, & menstruum eius alteratum, nunc confortandus erit. Quod quidem optime fiet, si in cibo & potu modus & ordo habeatur; non tamen negligendus medicamentorum vsus. *Tim. a Guldenklee* contra ventriculi vitia commendat *balsamum aloeticum* cum *mel. rosat. Pulverem nuc. mosch. Forest. Obs. 2. L. 25.* alii, alia, *Bagliu. in operibus* contra ventriculi vitia commendat *potum coffee* a meridie haustum. Breuibus, inseruiunt huic intentioni

E omnia

omnia calida, stomachica, aromatica & aromata, balsamica, volatilia, spirituosæ, imprimis vinum generosum omnis generis, præ aliis tamen maluaticum, olea aromatum destillata, tam interne quam externe adhibita, *sal volat. oleos. pulu. stomach. & saccharic. Querc. & alia*, roborando ventriculo debita. *Thymi atque fœniculi semen* suadet *Galen. LIII. 210. de medicament. fac. parand.* Multum etiam conducent Infusa, ex vegetabilibus stomachicis & aliis debitis, cum vino parata, quibus aliquid *rhabarb. vel fol. senn.* est additum. Per continuatum horum usum non solum ventriculi vitio medemur, sed rite procedente digestionem, humoribus correctis, horum motu in ordinem redactis, etiam simul omnia reliqua viscera & partes solidæ vigorem suum iterum adeptæ, quod est officii sui, melius agent, & in secretionibus atque excretionibus sanguinisque his ipsis depurationibus, munus suum absolvent. Ut vero iam supra dictum, medelam morborum in senibus esse difficillimam, sic etiam facile concedimus, omnibus his & aliis per experientiam probatissimis medicamentis, sæpe nihil effici, nec morbum radicitus tolli, sed leuamen saltem aliquod obtineri, & recrudescere nonnunquam malum, ad accuratum regimen in sex rebus non naturalibus confugiendum, vitando omne, quod & partibus solidis atque humoribus nocuum esse poterat.

§. XXXI.

AERIS iniurias senibus inimicas, certum est, cum enim calor vitalis illorum debilis sit, per nimium frigoris rigorem magis supprimitur, humoribus lentior inducitur, pori occluduntur, viscera debilitantur, & sic excretio atque separatio particularum excernendarum impeditur. Nec etiam

etiam

etiam nimius calor humoribus senum conducit; ita *Galen.* in *Comment. ad Hippocrat. Libr. III. de morb. vulg.* Senes, qui superfluas semper humiditates, ob naturæ imbecillitatem, coaceruant, ut his accessit aeris calor, ex illa tempestate, humorum putredinosæ corruptioni fuerunt opportuniores iuuenibus. Vitandus ergo omnis aër frigidus, nimis calidus, austrinus, ventis nimis agitatus, pluuiosus, nebulis impurus, aliisque impuritatibus contaminatus; seligendus magis serenus, temperatus, non nimis calidus, purus. Et, si, quod Pastoris officium requirit, aëri frigidiori se exponere debeat æger, vestibus totum corpus, maxime ventriculi regionem, bene muniat. Affirmat idem *Cels. de Med. L. II. c. 1.* tutissimi sunt senes æstate, atque autumnæ prima parte, inimicior senibus hyems.

§. XXXII.

Selectus in CIBO & POTU & summe necessarius, & maxime salutaris erit, cum enim praua digestio ad morbum nostrum multum conferat, ventriculus etiam in senibus valde debilis, hinc eo laborandum, ne huic noxa fiat, sed ipsi prospiciendum. Assumat itaque æger cibos eupeptos & euchymos, aromatibus bene conditos, ne tamen in his simus nimii, interdum alimenta medicamentosa iungat, v. g. acrimoniam humorum temperantia, demulcentia, humectantia, v. g. gelatinas, oua sorbilia, hord. mundat. lactinia, amygdal. pin. &c. & laxantia, v. g. pruna, passul. &c. Panis senum, suadente *Galeno*, sit bene coctus; In his omnibus tamen ita se gerat senex, ne nimia quantitate ventriculus oneretur, cui digerendæ sit impar, & sic cruditates in illo relinquuntur. Potus sit nec recens, nec effoetus, generosus tamen; Vinum inter prandendum parum, præ-

primis maluaticum, commendatur, cereuisia tenuis, bene defæcata, non turbida, nec acida. Vitandi cibi duri, falsi, difficilioris coctionis, fructus horæi, acres, & quæ supra dietis contraria. Sic *Galen.* suadet: *Caueant ab omnibus adstringentibus L. de San. t. c. 6. & de ren. affectibus:* Vitanda quæ exsiccant, calefaciunt atque extenuant. Caueant a musto & aliis, fermentationem facile producentibus.

§. XXXIII.

Medicamentis in morbo nostro vt adiuuans quasi apponit *Galenus* etiam motum *L. V. de S. t. c. 3.* vbi inquit humectantibus atque calidis modica dimotio iungenda. Sed nimia motio senibus interdicenda, si etiam vires illam concedere videantur. Debilis enim horum constitutio subitas mutationes neque perferre, multo minus subsequituris malis mederi potest; si itaque in motum nimium rapiuntur humores, quies corporis succedens, etiam quietem humoribus inducit, nec calor debilis illos vltius promouere potest. In genere quidem ad quietem magis propclines sunt Senes, secundum *Homerum:* *Vt lauit, sumsitque cibum, mollibus in stratis dormire hæc vita senilis;* sed etiam quies nimia, itidem vt motus nimius, illis interdicenda; vt enim motu nimio vires magis debilitantur, sic motu omni neglecto humores lentescunt, lentore hoc calor magis supprimitur, organa hebetantur, & sic porro. Modicum itaque a *Galeno* suafum optimum, & multum conducet senibus, si interdum leuis, pro viribus instituatur, & etiam in quiete quantum possibile, modus habeatur.

§. XXXIV.

SOMNUM in reficiendis viribus pluris æstimandum quam alimenta, & in vulgus notum est; sed tamen vigiliis

liis

liis ob ariditatem vexantur senes, secundum *Galen. L. III. de loc. affect.* & hinc etiam vires ipsorum magis lassantur. Suadendum itaque iis, vt somno fruantur, si nocturnus non sufficiat, etiam diurno, præcedente modica motione, ita tamen, vt & hic modus seruetur.

§. XXXV.

Debiles sunt senum spiritus, & ideo a quacunque causa externa, leuissima licet, in inordinatum facile rapiuntur motum, vel ex opposito, omnino supprimuntur, quod affectiones animi præstant pro variis suis modis; prius nempe præstant ira, gaudium nimium, posterius mœror, tristitia, &c. Vt ergo labefactatæ sanitati senum etiam in his subueniatur, suadendum, vt omnibus curis abstineant, omnes casus, ex improviso obuenientes, ipsis occultentur, cum hæc præsentissimam mortem, secundum observationes Practicorum, in multis produxerint.

§. XXXVI.

Tandem & EXCRETIONES debitæ promoueantur; Si itaque alius lenta, sollicitetur aliquo laxante, vel saltem cibus humectantibus, de quibus supra sub cura dictum; Vt transpiratio iusta promoueatur, abstineat ab aëre frigidiori, & sereniori & calidiori fruatur, non tamen nisi secundum supra datum modum: quibus omnibus medicamenta magis subueniunt. Verbo: Utatur rebus ad conseruationem corporis a DEO per naturam oblatis, ita, vt omnes, quantum possibile, excessus atque defectus vitentur, & melius se habeat, vel certe medicamenta necessaria, effectu desiderato, facilius potiri poterunt, vitando, ex *Coi* præcepto, nasturtium. Et ex his ipsis

E 3

con-

consilium Aeger noster facile sibi ipsi dare poterit, de faci-
ciendo longiori itinere; quod tempore autumnali, & va-
riante circa hoc tempestate, sub ventis frigidioribus, in-
stituendum, & ob nimiam loci remotionem, & olim iam
expertam morbi sub motu exacerbationem, ex præmis-
sis dissuademus.

SOLI DEO GLORIA!

Effæto lassæ languent in cor-
pore vires;

Omnia deficiunt, non tamen
ipse dolor.

Sufficit hic vnus, stimulo si
vexat inani;

Vt somnus cesset, stilla vel
vna facit.

Tu

*Tu reparas fœdum laticem, gra-
tamque quietem ;
Hinc dabitur capiti purpu-
ra clara Tuo.*

*Clarissimo Dn. Doctorando Respondenti,
ex animo gratulatur & honoribus me-
ritissimis applaudit*

P R Æ S E S.

Mesis adest. Iam meslis adest, & digna Colonus
Pro semente sui dona laboris habet.
Qui fuit ignauus, qui non sudauit & alsit,
Qui non conseruit, non reparabit agrum:
Hic pro frumento lolium secat atque cicutam,
Vrendam filicem difficilesque rubos.
Ast qui puluereo studuit solerter aratro,
Intendens validam sæpe diuque manum:

Qui

Qui dedit excultæ prudens sua femina terræ,
 Et bonus officium fecit vbique suum:
 Hunc iam nunc sequitur messis pulcherrima, messis,
 Quæ micat in Lybicus vix ita diues agris.
 Vndique se pleno diffundit Copia cornu;
 Vndique rurales luxuriantur opes.
 Talia dum fiunt, Affinis, Fautor amice,
 Clari Doctoris rem titulumque tenes.
 Messis adest. Tua messis adest, Tibi præmia dantur,
 Qualia commeruit sedulus ille labor.
 Nunc patet, in studiis quid proffit degere vitam,
 Quid proffit Clariis rite litasse sacris.
 Quid sit nocturna, quid sit tractasse diurna.
 Indelassatos mente manumque libros.
 Plaudo TIBI, tantosque TIBI gratatus honores.
 En! pia deuoto pectore vota fero:
 QVEM COLIS HIC, GALENVS OPVM, GALENVS HONORVM
 ÆTERNAM MESSEM DET COLVISSE TIBI!

Ita

*Nobilissimo Domino suo Affini, Amice
 amicissimo, votiuè applaudit*

IO. GEORG. Scheller, CAHLENS.